

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...

**Chladni, Martin
Schroeder, Johann
Vitembergae, 1719**

VD18 11653507

§. IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

pterea poenitentes non sunt, quia sensum poenitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter credendi sensum non habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quia fidem per verba gestarium quodammodo profitentur, cur non prius etiam poenitentes habentur, cum per eorum verba gestantium diabolo & huic seculo renunciare monstrantur? Hæc uterque non sine ἀκριβείᾳ & exquisito iudicio disserit.

§. VIII. Si alios nostrates consulueris, invenientur, uti poenitentiam, sic quoque conversionem equidem non omnem, proprie saltem dictam, ab infantibus remove; Ita B. KÖNIGIVS: *Conversio & Regeneratio differunt ratione subjectorum: Regeneratio enim adulatorum & infantum, conversio vero adulatorum saltem est, quia infantes non dicuntur proprie converti. Synops. p. 189.* Nec aliter NIEMEYERVS: *Poenitentia lapsorum ab infantibus exigitur, qui, quando ad baptismum ducuntur, per eundem quidem regenerantur, at tamen poenitentia precedente non ducuntur, sicuti nec proprie convertuntur. Theol. Moral. p. 147.* Idem alii faciunt re bene alioqui pensitata, & non præter rationem, ut tamen videantur sic propius rem ferire, & conversionem latius sic dictam, & poenitentiam sui generis infantibus concedere velle.

§. IX. Et sane ita est negotium, si accurata lance ex verbo DEI libremus, comparatum, ut ab omni conversione, atque poenitentia & ne quidem prima infantulos prorsus excludere queamus. Est omnino poenitentia, remotis omnibus ambagibus, nihil aliud, quam effectus proximus passivus conversionis, quam suscepit Spiritus S. in cordibus hominum per verbum & sacramenta. Sicut itaque conversio complete sumpta & contritionem & fidem producit, ita etiam poenitentiam essentialiter, his partibus constare necesse est. Unde etiam poenitentia notio ὀλιγὴ est famosior, tamen si altera μερικὴ, qua pro sola contritione sumitur, si recte capiatur & dextre applicetur, in verbo DEI fundamentum habeat, & ibi cum-

cum primis ubi fidei contradistinguitur, juxta canonem GERHARDI: Quando pœnitentia tribuitur effectus remissionis peccatorum, gratia Divina, aversionis vel mitigationis pœnarum, vitæ & salutis æternæ, non tamen disertæ fit mentio fidei, in illis dictis pœnitentiæ nomine totum conversionis opus intelligendum est. Vicissim quando fides in Christum pœnitentiæ disertis verbis adjungitur, tunc pœnitentiæ nomine altera pars illius tantum, videlicet contritio intelligitur. Quanquam dissimulare non possim SEBAST. SCHMIDIVM, Theologum gravissimum non vereri in his ipsis oraculis, ubi pœnitentiæ fidei contradistinguitur, significationem non retinere μερικῆν sed ὀλικῆν. Nihil enim ipsi impedire videtur, quo minus in dicto: Facite pœnitentiam & credite evangelio. Marc. 1, 15. non dicatur contradistingvi partem parti, sed partem toti, ita ut hoc primo ponatur & deinceps pars, velut medium ad salutem proportionatum, subjungatur. Colleg. Bibl. N. Test. p. 261. sq. Malunt tamen pii Confessores primæ notioni, nempe μερικῆν ibi locum dare F. C. L. V. p. 711.

§. X. Quando igitur conversio completa perficitur a Spiritu S. in corde hominis cujuscunque, atque sic poenitentia, ὀλικῶς accepta, producitur, simul regeneratio stricte sumpta peragitur, & fides datur atque accenditur, ut adeo conversionis ὀλικῶς acceptæ itidem actus duplex constitui possit, vicissim vero, ubi μερικῶς sumitur, nihil aliud denotat, quam contritionis veræ & genuinæ productionem. In qua ipsa sanctissima operatione Spiritus S. ita procedit, ut nunc nudum horrorem de peccato, etiamsi specificè nondum cognito, eum tamen serium verumque, excitet, absque actu tamen reflexo, tum intellectus, tum voluntatis, attentione ad se ipsum vel aliis ejusmodi actibus, quæ ex usu rationis simul promanant: nunc vero talem dolorem, qui oritur ex accurato scrutinio sui ipsius, adeoque actu intellectus reflexo, & se per externa indicia satis conspicuum reddit. Di-